

instar hederæ amplectitur æquante) adsimiliū est, nisi, quod non tam
altè excreseat, ita ut ferme solo colore succi hi inter se differant. Per
se hic succus est vehemens expurgat *ἀνω καὶ κάτω* serofos &
aquosos humores. Corrigitur Spir. ☉ & ☽. In India ubi cre-
scit, solo aceto maceratur. Quibusdam Spiritus vini extrahi-
tur & aromatizatur.

XI. Inventa sunt nostra tempestate Chemicorum in-
dustria (sicut fecundo temporis progressu nova rerum inven-
tio indies incrementum sumit) multa præstantiora vomitoria,
multòque tutiora, quorum usus plurimus hodiè existit, in di-
versis & gravibus morbis curandis. Ita Sal ☽ *Angelus Sala* in *Ter-
nar. Hemet.* laudibus in cœlum tollit. *Testor Deum, ait, & certò
cuius promitto lectori, quod inter medicamenta vomitoria tam sim-
plicia, quam composita, & quomodocunq; preparata, sive mineralia,
sive vegetabilia, quæ vel ab aliis adhiberi vidi, vel ipsemet adhibui, nul-
lum observaverim magis universale, magis interim præ cæteris ad pur-
gandum superfluitates in stomacho, corruptosq; humores in ipsis tuni-
ci impactos, benignum, quam hoc ipsum Sal ☽. Adeò siquidem tutò,
adeò facilè operationem perficit suam, ut merito jure Manna vomito-
riorum veniat adpellanda & c. Ritè tamen hoc sal est præparan-
dum è ☽ rectè calcinato. Si enim colchotar adhuc est rubrum,
instar boli armenæ, vitriolum ejusdem coloris, non verò Sal
album præbebit; si nimis erit calcinatum vitriolum, ad nigre-
dinem puta, vel spongiositatem, adeò ut spiritibus acidis spo-
liatum prorsus sit, nec multum salis inde conficies, quod pur-
get multum. Calcinatum itaque vitriolum huic usui accom-
modatum, sit brunneum seu obscurè purpureum, ut ibidem
monet Sala. In exhibitione vomitoriorum vitriolorum cavendum
ab *asthmate*, aliisq; pectoris affectibus. Vitriolum nimirum crudum
venenum est, quia *asthma* procreat, & suffocando necat, ait *Hartman-
nus in notis supra Crollium.* Sala tamen in *Hemetol.* Sal vitriol. in
Curat. 16. cum fructu in *asthmate* à catarrho dedit. Vitriolum
crudum propriè venenum non esse, demonstrat *Sennertus l. 6.
med. pract. p. 264.* Tutius tamen sal ritè paratum, quam ☽
crudum propinatur. Dosis ejus est *ʒi* ad *ʒiſſ* vel *ʒij* in vino,
brodio carnis, vel phlegmate ☽ acido & aromatico. In ☽
D, 8*

Sal. Col.